

Loca Sacrae Scripturae.

Maria Magdalena, & altera Maria veniunt. Nemine impetrante, vel adhortante, sed ipsa ex suamet voluntate, ac amoris affectu, A. 1. q. 4. n. 26. 27. 28. p. 282

Veniunt ut ungerent Jesum. Quem sciebant mortuum & de resurrectione sequenti erant haeritantes, ac proinde nihil ab eo sperabant, sed gratis obsequia praestant, L. 15. q. 7. n. 42 cum frequenter apud homines, magna oblivio sit de mortuis, M. 22. q. 5. n. 36. p. 201

Veniunt ut ungerent Jesum. Virtuofus amor, qui erat in mulierum corde relucet exterius in opere, M. 23. q. 1. n. 13. p. 204. L. 11. q. 22. n. 117. p. 435

Quis revolvat nobis lapidem? Amor eis vires dabat, & animum ministrabat, M. 7. q. 1. n. 6. 7. p. 65. L. 1. q. 13. n. 67. p. 348

Quis revolvat nobis lapidem? De his generofis feminis nulla scribitur laus, quia illarum opus ipsas laudabat, earumque famam praedicabat, L. 7. q. 1. n. 2. p. 384

Viderunt Angelum. Qui magno affectu feruntur ad hominis bonum, & salutem, M. 18. q. 2. n. 7. 8. p. 147

Surrexit. Christus suscitatus, Eucharistiam recipientes maxime ad se adducit, I. 6. q. 11. n. 48. p. 581

Jesum quaeritis Nazarenum. Nazarenus, id est floridus: magna Christi majestas post resur-

rectionem denuntiatur ab Angelo, ut auctor est Rupertus lib. 2. in Matth. & ait. *Angeli gratulantes resurrectionem ejus, nomen istud solemnius praedicarunt.* In Christo suscitato Paulus quandam eximiam majestatem agnoscit, Gal. 1. n. 1. *Paulus Apostolus, non per hominem, sed per Jesum Christum: quomodo dicitur non per hominem, cum Jesus Christus verus sit homo? subdit Apostolus. Per Jesum Christum, & Deum Patrem, qui eum suscitavit a mortuis.* Cum in tanta resurrectionis gloria eum considerat, plusquam hominem agnoscit, Theophilact. *Quem Deum suscitavit, ait; Ut hinc apparetur cur dixerit neque per hominem, nam propter immortalitatem, jam nunc Christus non homo est.*

In die Ascensionis.

Vide Marc. 16

In festo Pentecostes.

Vide in Syllabar. Verb. Spiritus sanctus.

In festo Corporis Christi.

Vide Verbum, Eucharistia.



R. P.



R. P. D. F. IOANNIS DA SYLVEIRA TOMUS SEXTUS, ADDITAMENTA IN EVANGELIA.

PREFATIUNCULA.

EAM in nostro primo Tomo explicavi quid sit Evangelium? quid significet? quod in se unum consistit, cum scriptores sint quatuor, Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes, & ex tot Scriptoribus maximè dignitas Evangelii conjecturari licet, ut docet D. August. lib. 10. de Civitate: D. August. maximè verò ejus dignitas cognoscitur ex ipsius materia, ac subjecto, quae sunt vera opera, & facta JESU-CHRISTI unigeniti Filii Dei? ex quo ait ipse D. August. lib. de Consens. Evangel. cap. 1. *Inter omnes divinas auctoritates, quae sacris litteris continentur, Evangelium merito excellit: quod enim lex, & propheta futurum praenunciarunt, hoc redditum, & completum in Evangelio demonstratur.* Prophetia ergo est Evangelium revelatum; Evangelium verò est Prophetia revelata in Christo Jesu, & D. Bernardus Homil. 16. ait: *Omnis Evangeliorum vox, reliquis omnibus Sancti Spiritus praeceptis eminentior esse dignoscitur.* Unde Origenes Praefatione in Joannem ait: *Totius Scripturae primitia est Evangelium.* Et Gelasius lib. 1. Epistol. 31. *Evangelium dicit Totius Scripturae epilogum, omniumque mysteriorum pelagum.*

Suprema Evangelii dignitas bene deprehenditur ex nominibus, quibus dicitur, & nominatur: appellatur *Evangelium Dei* Rom. 1. n. 1. Solus enim Deus potuit tantum bonum mundo dare, ac manifestare. Diciturque *Evangelium Jesu-CHRISTI Filii Dei*, à D. Marco cap. 1. n. 1. Diciturque *Evangelium gratiae Dei*, Act. 2. n. 14. per ipsum gratia Dei nobis communicatur: appellaturque *Evangelium salutis*, Ephes. 1. n. 13. per ipsum habemus salutem à Christo. Diciturque *Evangelium pacis*: Ephes. 6. n. 26. per ipsum facta est pax inter homines & Deum. Appellaturque etiam Apocalyp. 14. n. 6. *Evangelium aeternum.* Hoc est regni aeterni, quod à Deo nobis datur per Evangelium.

Cum ergo Evangelium sit Evangelium Dei, ac JESU-CHRISTI Filii ejus, & quae sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei: 1. Corinth. 2. n. 11. 12. & cui ipse Spiritus Dei per gratiam suam voluerit revelare, auxiliante Sacratissima Virgine MARIA illuminatrice Evangelii ac omnium scientiarum, cujus opem ex toto corde, ac affectu invoco, & exoro, quae sem-

Sylveira in Evang. Tom. VI.

A per